de illa omnes huius saeculi potentes ablati sunt. Ossa ergo excocta sunt. ecce
populi defecerunt. carnes eius liquefactae sunt. Dicatur itaque: Congere ossa.
quae igne succendam. consumentur carnes. et coquetur universa compositio eius.
et ossa tabescent. Ubi enim senatus? ubi iam populus? contabuerunt ossa. consumptae
sunt carnes. omnis in ea saecularium dignitatum ordo extinctus est. excocta est
universa compositio eius. Et tamen nos ipsos paucos qui remansimus adhuc
cotidie gladii. adhuc cotidie innumerae tribulationes premunt. Dicatur
ergo: Pone quoque eam super prunas vacuam. Quia enim senatus deest. populus inter
iit. et tamen in paucis qui sunt dolores et gemitus cotidie multiplicantur. iam
vacua ardet roma. Quid autem ista de hominibus dicimus. cum ruinis crebrescen
tibus ipsa et quoque aedificia destrui videmus. Unde apte de civitate iam
vacua subditur. incalescat et liquefiat aes eius. Iam enim et ipsa olla consumitur.
in qua prius carnes et ossa consumebantur. quia postquam defecerunt homi
nes. etiam parietes cadunt. Ubi autem sunt qui in eius aliquando gloria laeta
bantur. Ubi eorum pompa. Ubi superbia. Ubi frequens et inmodera
tum gaudium. Impletum est in ea quod contra destructam nineven per prophetam
N De ninive. dicitur: Ubi est habitaculum leonum. et pascua catulorum leonum. An eius
duces ac principes leones non erant. qui per diversas mundi provincias dis
currentes praedam saeviendo et interficiendo rapiebant. Hic leonum
catuli inveniebant pascua. quia pueri adulescentes. iuvenes saeculares. et
saecularium filii huc undique concurrebant. cum proficere in hoc mundo voluissent.
Sed ecce iam dissoluta. ecce contrita. ecce gemitibus oppressa est. Iam nemo ad
eam currit. ut in hoc mundo proficiat. iam nullus potens et violentus
remansit. qui opprimendo praedam diripiat. Dicamus ergo. ubi est habi
taculum leonum et pascua catulorum leonum. Contigit ei quod de iudaea no
Eph. vimus per prophetam dictum. Dilata calvitium tuum sicut aquila. Calvitium quippe
per hominis.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
STAATSBIBLIOTHEK BAMBERG
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Staatsbibliothek Bamberg
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/sbbam_mscpatr69/0312